

perire velimus, omnia in Scriptura, ubi ipsis non favet, pervertendi.

§. 12. B. Joh. Tarnovius Exercit. p. m. 600. ut cum B. Luther sentire videatur, locum nostrum ita explicat: *Christus exposuit cum improbis sepulchrum suum h. e. Voluntariè sese obtulit ad flagellandum, crucifigendum, moriendum & sepeliendum, non secus, ac si ipse fuisset improbus, & inter eos ab hominibus hæc mala eum perpeti videntibus, reputatus est.* Quam expositionem ex Antecedentibus & Consequentibus probare conatur hisce verbis; *Dixerat Propheta, quod ob desfectionem seu populi peccatum sit Messiae plaga.* Ne quis igitur putaret, *Christum vel invitum hoc fecisse & contra suam voluntatem fuisse sic abreptum, aut merito ob aliquid facinus ita fuisse à Deo & hominibus tractatum* (quomodo fructus omnis exspiraret, ad quem tamen declarandum in seqq. accedit Esaias), utrique opinioni falsæ sic occurrit eamque removet: quomodo nil contorti vel in textu Hebræo vel in ipsa cohærentia esse dicit. Et (2) monstrare conatur Vir Beatus, quomodo hæc sua expositio benè conveniat cum B. Lutheri versione, dum pergit: *Nam si ita cum improbis exposuit sepulchrum suum, externa specie similimum, ist Er ja gestorben wie ein Gottlieber / & si se exposuit cum divite & iniquo in mortes suas (quam ille meretur in se, hic Christus tantum in nostra personâ) ist Er ja begraben / wie ein Reicher / der sein Thuen auf Reichthum b sehet.*

§. 13. Sed præterquam, quod particula *in* post verbum Activum, uti h. l. post verbum *in* possum nunquam in tota scriptura pro Præpositione *Cum* usurpatetur